Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

auditores. testes ex semetipsis producunt qui sub sacramenti
iuramento que obiciebant confirmarent. Quorum unus testis
ne igne consumeretur. vera dicere se testabatur. alius ita ne
luminibus privaretur. Et quamvis ne iurantibus quidem ipsis
quisque fidelium et deum metuentium crederent. eo quod vita nar-
cissi et institutio ac pudicicia ab omnibus nosceretur. ipse
tamen eorum que mota sunt indignitatem ac molestiam non ferens.
simul et secretam ac philosophicam vitam semper habere
desiderans subterfugit ecclesie multitudinem et in desertis
locis atque agellis secretioribus delituit. annis quam plu-
rimis. At non ille magnus divine providentie oculus quiescit.
in longum. sed in impios ultionem per ea ipsa que se in periuriis
statuerunt maledicta molitur. Primus namque ille testis
parva ignis scintillula noctis tempore domo sua
succensa. cum omni genere. omnique familia flammis ultri-
cibus conflagratur. alius repente ab imis pedibus usque ad sum-
mum verticem capitis. morbo regio quo fuerat imprecatus reple-
tur atque consumitur. Tercius autem priorum exitum videns et
oculum divinum non latuisse perspiciens prorupit in me-
dium et audientibus cunctis sera penitentia universi
concinnati sceleris ordinem pandit. Tantis autem la-
crimis in maius commissi facinus deflet. et in tantum die noc-
tuque perdurans fletibus usque quo luminibus privaretur. orba-
retur. Hi igitur figmenti sui penas huiuscemodi dederunt.
Narcissus vero cum ita desertum petisset ac locis secretio-
ribus se abdidisset. ut ubi iam degeret nullus agnosceret
necessarium visum est episcopis. ut pro illo alium ordinarent.
cui nomen erat dius. cumque cum parvo tempore prefuisset.
ecclesie succedit germanus. germano cordis. cum ecce
subito velut redivivus. celo quasi redditus ex improviso ap-
paruit narcissus. et rursum a fratribus presidendum rogatur
ecclesie. Verum cum iam fessus senio penitus pontificatus
ministerio sufficere non posset alexandrum qui iam erat episcopus
alterius loci. divina dispensatio in adiutorium senis evi-
dentibus revelationibus evocavit. Expletis centum et xvi.
annis relicta sede beato alexandro fructum laborum su-
orum a domino recepit. Ipso die apud urbem sydonem sancti
Zenobii presbiteri natalis excolitur qui in persecutione dio-
cletiani martirio coronatur. Eulalii conf.

Vita sancti.

Fuit quidam frater in monasterio nomine
Eulalius. nimis gratia humilita-
tis ornatus. Si quid igitur ut solet
culpabile negligentiores fratres ad-
misissent. excusantes culpas su-
as. supradictum fratrem asserebant esse
culpabilem. Cumque argueretur a senioribus fratribus
non negabat. sed prosternebat se in terram adorans
eos. dicebat se peccasse et negligenter fecisse. Cum autem
tam frequenter accusarent eum et secundum regulam mona-
sterii biduana ac triduana ieiunia ei indicerentur. ille
omnia patienter tolerabat. Ignorantes autem fratres quia hec
omnia pro humilitatis virtute patienter sustinet. conveni-
entes pariter maxime seniores fratres ad patrem monasterii
dixerunt ei. Considera pater quid faciendum sit. Quamdiu enim
possumus sustinere negligentias et dampna que frater Eulalius
facit in monasterio. Iam pene omnia vasa et utensilia
monasterii confracta sunt et exterminata per negligentiam
eius. Quomodo ergo iste talis tolerandus est. Respondens pater
monasterii ait. Interim paucos dies sustineamus fratres. et
postea ordinetur de eo quod competit fieri. Hec dicens
dimisit fratres. Ingressus autem cellulam prostravit se in
orationibus obsecrans misericordiam dei ut ei manifestare dig-
naretur qualiter definiri possit de supradicto fratre. Tunc
revelatum est quid ageret. Convocavit autem omnes fratres ab-
bas et dixit eis. Credite mihi fratres. quia magis opto mattu-
lam fratris eulalii cum humilitate et patientia eius. quam omnia
opera eorum dumtaxat. qui murmurantes in cordibus suis op-
erantur in monasterio. Ut autem ostendat vobis dominus qualem meri-
tum apud deum habeat. Hic ipse frater. precipio vobis ut de-
ferant mihi mattulas omnium fratrum. Quas cum detulissent.
iussit ut accenderent ignem. et misit in eum omnium fratrum
mattulas que statim omnes combuste sunt. preter mattulam
eulalii que integra reperta est. et non est combusta. Cumque hoc
vidissent fratres omnes timuerunt valde. et prosternentes
se in terram veniam et indulgentiam a domino postula-
bant et collaudantes admirabantur nimis patien-
tiam et humilitatem fratris eulalii. Deinceps ex eo honora-
bant et magnificabant eum. tamquam eum de magnis pa-
tribus. Istos autem honores et laudes non poterat sustinere.
frater Eulalius dicens. Ve mihi infelici. quia perdidi humilitatem
quam tantis temporibus acquirere auxiliante et adiuvan-
te me christo domino festinavi. Consurgens itaque nocte
egressus de monasterio. fugit in heremum ubi nullus eum
agnosceret. et ibi in specu habitavit. Noluit enim tempora-
les hominum laudes. sed celestem eternamque laudem a salva-
tore nostro christo in futuro percipere seculo.

Passio Quintini martyris.

In oppido virmandense in gal-
liis sancti quintini passio colitur
martyris. Qui sub maximiano
imperatore pro christo certavit.
et vicit. et martirium passus reg-
na syderea penetravit. Post
annos. lv. sacrum eius inventum est corpus. et intra menia
honorifice tumulatum. Cuius inventio et sancta reposi-